quod pulchre Apoſtolus docet,

ζῶντος et ζῶντι, *μένοντι εἰς τὸν αἰῶνα*, 1. Petr. I. 23. Ebr. IV. 12. Haec Apoſtolus alicubi nexu pulcherrimo ſiſtit 1) *Gentiles*, qui fuerint (ὑπὲρ ἡμῶν, τῶν ἐθνῶν) et 2) *audiuerint* (ἠκούσατε τὴν οἰκονομίαν) 3) potuiſſent νοῆσαι (ἀναγινώσκοντες cet.) *reuelationem*, 4) ſe quoque (εἶναι τὰ ἔθνη συνκληρόνομα) *una haereditare* debere, 5) διὰ τοῦ εὐαγγελίου, et 6) per eius miniſtrum, διὰ τὴν δωρεὰν τῆς χάριτος, Eph. III. 1. 2. 3. 6. 7. Quomodo corruptionem in ſe factam, obſeruauerint iidem, cum *Mornaeo* quidem, ſat graphice nonnulli deſcribunt, multa namque ab iis, qui reuelationis lumine gaudent, quaſi bene fluant, naturae tribui, nectendo conſequentias, poſſunt, quae uero praxin miſerrime ſimul excoecatorum longiſſime ſuperant. Sic, inquiunt, Gentilem argumentari potuiſſe: miſer et corruptus ſum; talem uero me Optimus Deus, boni ordinis in macrocoſmo ſtudioſus adeo, ad gloriam ſuam et hominis commoda omnia creans, non fecit. Primus E. homo etiam bonus fuit: Faber namque non creat rubiginem ferri; non uinitor labruſcas, non hortulanus erucas cet. malum E. aliunde uenit. Anima, Spiritus, tam inania ſectans et humi repens, corruptus fuit, non ab elementaribus et corporibus; dedit E. naturae auctor, in poenam, poteſtatem corruptoribus quibusdam; hinc anteceſſerit culpa, crimen in creatorem, adeo et homini poſtea maledicentem, neceſſe eſt. Culpa ea, quae fuerit, maxime iudicandum ex poena. Quia *rationi* non amplius ſenſus et appetitus obſequuntur; haud dubie *ratio* non obſecuta eſt Deo, ſed ſupra eum ſe efferre uoluit. Mundus ſeruire debebat homini, homo Deo: nunc mundus et natura contra hominem inſurgunt; E. homo antea contra Deum rebellis fuit. Malum hoc non nuper, non alicubi ſaltem, non in quibusdam coepit: E. uniuerſale et omnibus retro ſeculis, iam tum extitit. Nec a Deo uenit, quia non omnes uti homo, corruptae ſunt creaturae: erit itaque hoc malum a quodam *contagio*; corpus uero Spiritum non contingit: E. uel *ex* homine, uel ex *alius* cuiusdam *ſpiritus* contactu erit, κ. τ. λ. MORNAEVS, l. c. Accedit 3) communis gentium conſenſus, quem ſic urgent IVSTINVS MARTYR, in *Reſp. Quaeſt. I. ad Graecos*, p. *160.* πάντες, ὅτι ἐστὶν ὁ Θεὸς, ὁμολογοῦσι κοινῇ ἐννοίᾳ, *omnes, Deum eſſe, communi fatentur intelligentia.* DAMASCENVS, *L. I. de Orth. fide, c. III p. 7.* ἡ γνῶσις τοῦ εἶναι θεὸν, φυσικῶς ἡμῖν ἐγκατέσπαρται, *cognitio, quod Deus ſit, nobis natura inſita atque ingenita eſt.* CICERO, *in Orat. pro Milone: Non ſcripta haec lex, ſed nata,*

et alii, in conſequentiis Gentilium elicitis, excoecatis omnino difficillimis, docere uolunt,

Gentilium conſenſus;

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn326841385/25 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG